

CLXII.

Confirmatio S. Dionysii de Nogento, per dominum Urbanum II papam facta.
(Anno 1095.)

[*Bibliotheca Cluniacensis, p. 544.*]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, universæ congregationi monasterii S. Dionysii quod situm est inter flumen Igunæ castrumque Nogenti, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut irrationabilia poscentibus negari debet ascensus, sic justa petentium votis benigna debemus assensione concurrere. Ideo dilecti filii nostri Gaufridi comitis de Mauritania, et ejus conjugis Beatricis devotioni duximus annuendum. Is siquidem comes B. Dionysii martyris monasterium in Carnotensi parochia inter Igunæ fluvium et castrum Nogenti ab avo suo Gaufrido fundatum, et a patre suo Rotroco ex parte ædificatum, sua tandem instantia consummavit, consummatum et rebus suis donatum, annuentibus venerabilibus viris Richerio Senonensi archiepiscopo, et Gaufrido Carnotensi episcopo, collaudantibus et subscribentibus tam uxore ejus supra nominata Beatrice, quam filio Rotroco, sanctis apostolis Petro et Paulo et Cluniacensi cœnobio sub reverendissimi confratris nostri Hugonis abbatis præsentia obtulit. Quam oblationem nostra postulaverunt auctoritate firmari. Nos igitur tam præfatum beati Dionysii monasterium, quam omnia ad id pertinentia, sub jure et dispositione Cluniacensium fratrum perpetuo permanere sancimus. Præcipientes et sub distractione anathematis interdicentes, ne quis unquam eundem locum a Cluniacensis cœnobii unitate subtrahat. Apostolica etiam auctoritate statuimus ut quæcunque dona, quascunque possessiones præfati comites vel alii quilibet fideles de suo jure eidem monasterio contulerunt, sub apostolicæ sedis tutela integra semper et illibata permaneant. Vicus scilicet supra memoratæ adjacens ecclesiæ cum decem prati agripennis, et tota in circuitu ecclesiæ terra usque ad Roduam fluvium, et super ipsum duo molendina. Terra Burchardi cum broilo. Terra de Belseria, de Asconis villa. Ecclesia S. Hilarii cum decimis et appendiciis suis omnibus. Ecclesia S. Leobini de Flaciaco, S. Leobini de Bracle, S. Hilarii de Bebanisvilla, S. Albinus de Coldrecolo, S. Mariæ de Margone, S. Petri de Bruyeria, S. Martini de Berduys. Ecclesiæ S. Joannis de Mauritania, S. Maenti, et S. Germani. Ecclesia S. Albinus de Campo rotundo cum tota Nigellæ terra et appendiciis suis omnibus super Eram fluviolum. In loco qui dicitur Vivariis terra omnis culta et inculta, exquisita et inquirenda, cum pratis, silvis, et servorum rebus, ibique, et in comitatu Mauritanie morantium. In Cenomanensi episcopatu ecclesia S. Petri de Cestone, saltus consuetudinarii tam ad usus ecclesiæ, quam ad usus monachorum et hominum suorum, præter saltum Perticuli. In omnibus saltibus pascua porcorum monasterii gratis. In loco qui dicitur Ora-

torius, terra unius aratri. In Morisim villa unius aratri terra. In fracta valle decem agripenni vineæ, molendinum de Ruitaria. Terra de Brenuncurte, terra Bonnaci cum mediatoriis earum. Piscaria in Iogniæ fluvio a vado Bellivilaris usque ad aquam quæ dicitur Edera, medietas Bebanisville, et silva quæ dicitur Ostenganis. Decima telonei Mauritanie castri. Tolonei quoque decima Nogenti castri. Decima etiam Pasnadii silvæ, quæ nominatur Resno. Item ecclesia S. Stephani, et S. Joannis in Nogenti castro. S. Hilarius, S. Joannes, S. Stephanus, S. Maria in castro Noiom. S. Martinus de Magone, S. Albinus de Campo rotundo, S. Albinus de Codricello, S. Maria Magdalene de Ferraria, S. Hilarius de Belenvilla. S. Joannes de Petrasixa, S. Petrus de Aponviller, S. Anastasius de Ronviller, S. Salvator de Campo rotundo, S. Petrus de Bosnileto, S. Martinus de Unverre, S. Leobinus de Flacci, ecclesia Oratorii cum appendiciis et decimis omnibus. Hæc habentur in episcopatu Carnotensi. In Cenomanensi episcopatu ecclesiam S. Petri de Cestone, ecclesiam S. Ulfacii, S. Petrus de Mauvis, S. Prejectus de Vileris, S. Hilarius qui est juxta Sanctam Ceronnam, S. Maria de Bure, S. Martinus de Loiseel, S. Germanus de Loisilz, S. Maria, S. Joannes, S. Macutus de Mauritania, S. Andoenus de Tesval, S. Gervasius de Feris, S. Andoenus de Verreriis, S. Martinus de Beloto, S. Martinus de Berziis, S. Martinus de Jamagiis, S. Petrus de Brueria. Præterea quæcunque vestrum cœnobium hodie juste possidet, sive in futurum juste canonicæque poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel abtatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva canonica Carnotensis episcopi reverentia. Si qua sane in futurum ecclesiastica sæcularive persona hujus decreti paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove communita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reanque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem cœnobio justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

CLXIII.

Urbani II papæ epistola ad Guigonem comitem.
(Anno 1095.)

[D. BOUQUET, *Recueil*, t. XIV, p. 761.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, Gu-